# Indbydelsesskrift

til

den offentlige Examen i Odense Cathedralskole

i Juli 1846.

---

Henrichsen.

# Indbydelsesskrift

til

# den offentlige Examen

i

# Odense Cathedralskole

den 21—30de Juli 1846

af

Prof. Mag. N. J. F. Henrichsen,
Skolens Rector.

---

Indhold.



Odense.
Trykt i M. C. Hempels Officin.

# De fragmento Gottorpiensi Lucretii,

Ad indicendum examen publicum mense Julio
in schola Othiniensi instituendum

scripsit

**R. J. F. Henrichsen,**
Prof., scholæ Othin. Rector.

**OTHINIÆ.**
Ex officina Hempeli.
MDCCCXLVI.

Ex antiquis scriptoribus haud facile quisquam est, in cuius reliquias magis grassata sit doctorum virorum vel mala sedulitas vel effrenata licentia, quam in Lucretii libros, qui sunt de rerum natura. Verum qualis sit illius carminis critica condicio, quid et olim et nuper in eo tractando peccatum sit, non opus est uberius explicare post accuratissimam Madvigii disputationem de aliquot lacunis codicum Lucretii (Opusc. Acad. Vol. I p. 305 sqq.), in qua disputatione indicavit, quam rationem inire deberent, qui in Lucretio emendando operæ pretium facere vellent, et ipse exemplis aliquot propositis quid sana critica ratione et sagacitate proficeretur probavit. Sed quum omne emendandi studium a codicum cognitione proficisci debeat, ut constet, quid præsidii e libris manu scriptis peti possit, quid ingenio et coniectandi sollertiæ relinquendum sit, nemo ignorat, quam difficile nunc sit de codicibus ita iudicare, ut quid ubique in optimis legatur, exploratum sit. Omnes Lucretii codices nobis notos ex uno aliquo libro ad legendum difficili et iam corrupto derivatos esse, monuit Orellius (in Iahnii Annalibus Philol. III. 4 p. 86 not.) et post eum Mad-

vigius, qui (l. c. p. 308 sqq.) universam codicum condicionem diligentius describens recte optimos esse duxit Gottorpiensem et Lugdunensem eum, qui Z littera apud Havercampium notatur, proximos his, sed qui minus integram et iam hic illic coniecturis mutatam archetypi scripturam exhiberent, Lugdunensem alterum (apud Haverc. littera Y notatum) et Bodleianum [1]), reliquos autem, quos maxime secuti sunt recentiores editores, ex eodem quidem fonte ductos, sed coniecturis hominum, qui seculo XV codices interpolarunt, refertos et propterea plane negligendos. Verum illud molestissimum est in hac quæstione, quod ex antiquioribus iisdemque melioribus libris nullus adhuc ita collatus est, ut eius vestigiis satis tuto insistere possit emendatio. Omnis enim lectionum varietas petenda est ex editione Havercampii, qui vel ex iis codicibus, quos ipse primus contulit, pro suæ ætatis more non omnia, sed quæ ipsi graviora videbantur, et ne ea quidem satis diligenter notavit; nec post eum quisquam illos codices inspexit. Et maxime quidem optandum erat, ut aliquis nostra ætate iterum conferret antiquissimum illum Lugdunensem, olim Vossianum librum (Z Haverc., M Wakef.), qui integrum Lu-

---

[1]) Eiusdem familiæ etiam videntur fuisse quidam Lambiniani codd., eodemque Vindobonense fragmentum ab Altero commemoratum (ab Endlichero in Catalogo bibl. Pal. Vindob. numero CXI notatum) pertinere putat Io. Siebelis in Zeitschrift für die Alterthumsw. 1844 p. 788; quod, quum mihi ad manum non sit Alteri editio, in medio relinquo.

cretii carmen continet. Interea dum hoc fit, non ingratum erit iis, qui in Lucretio tractando versantur, alium librum minus integrum illum quidem, sed non minus bonum et fortasse vetustiorem diligentius cognoscere. Itaque operæ pretium esse putavi, Gottorpiense illud olim omnium ore celebratum fragmentum excutere, et hac oblata scribendi occasione eius condicionem describere lectionisque varietatem proferre constitui.

Ludere fortasse cuipiam et fabulam narrare videor, qui de Gottorpiensi codice iamdudum in deperditis habito me dicturum et ex ipso vetere libro petitas scripturas prolaturum profiteor. Sed salva est res. Mirum profecto huius libri fatum dixeris. Seculo XVII vetustate et præstantia sua quum alios viros doctos advertit, qui Gottorpiensem bibliothecam adierant, tum Isaacum Vossium et Nic. Heinsium. [1]) Verum initio sec. XVIII bello orto inter Danorum regem et Gottorpiensem principem quum illa bibliotheca neglecta iaceret, eius libri turbabantur, quidam fortasse etiam intercipiebantur et male habebantur: quamquam in illa rerum perturbatione non tanta eius calamitas fuisse videtur, quanta deploratur a Moshemio aliisque (Werlauff l. c. p. 165). His tamen tragoediis fidem habuit Havercampius, qui imprimis Moshemio auctore anno 1725 in præfatione Lucretii scripsit, codicem Lucretii una cum aliis bibliothecæ Gottorpianæ dudum per bel-

---

[1]) Cfr. Werlauffii Hist. bibl. Reg. Havn. p. 163 ed. alt.

licos furores evanuisse. Anno 1749 copiosa illa bibliotheca, in qua tum erant 331 libri manu scripti, Havniam translata magnaque ex parte Regiæ bibliothecæ inserta est (Werlauff l. c. p. 158 et 165). Sed tanta fuit Havercampii auctoritas, ut nemini postea in mentem veniret quærere, numquod Lucretiani codicis vestigium in Regia bibliotheca eiusve indicibus esset; quin recentissimi carminis editores Havercampii iudicium repetierunt et ne Madvigius quidem tum, quum disputationem de aliquot lacunis codicum Lucretii scripsit, de huius libri interitu dubitavit.[1]) Anno demum 1842, quum Madvigius, unus ex quattuorviris illis, quibus anno ante mandatum erat, ut Regiæ bibliothecæ libros manu scriptos recenserent eorumque accuratos catalogos conficiendos curarent, antiquos bibliothecæ indices pervolutaret, in his commemoratum vidit Lucretii fragmentum et suo loco in bibliotheca repositum deprehendit. Ita hic liber e tenebris protractus primum a Madvigio in edendis poetarum Latinorum carminibus selectis aliquoties adhibitus est, deinde illustrissimi præfecti liberalitate mihi traditus est utendus.

Ne quis autem actum agere me in excerpendis codicis Gottorpiensis scripturis putet, quod iam ali-

---

[1]) Ipse bibliothecæ Regiæ præfectus illustr., Werlauffius, qui l. c. p. 163 tradit, Nic. Heinsium magni fecisse aliquot Ovidii codices et fragmentum Lucretii bibliothecæ Gottorp., illos in Regiam bibl. transisse commemorat, de hoc tacet.

quot codicis collationes exstent, de his collationibus, antequam ad codicem describendum aggredior, pauca dicenda esse videntur. Gottorpiensis codicis lectiones inveniuntur in editione Havercampii, qui in iis colligendis usus erat duabus collationibus a viris doctrina præstantibus olim, quum codex in Gottorpiensi bibliotheca erat, factis, altera Isaaci Vossii, quæ tum in bibliotheca Lugduni Batav. servabatur atque etiam nunc ibi esse dicitur, altera Marquardi Gudii, quam a Moshemio missam acceperat. Mirum est, neminem eorum, qui postea ad Lucretium edendum accesserunt, illas collationes inspexisse; [1]) verum si ex Havercampii excerptis de earum ratione et pretio iudicare fas est, neque accurate neque integre codicis scripturas repræsentare eas fatendum est, nec quisquam, qui meam collationem cum illis excerptis comparaverit, supervacaneam operam meam dicet. Ceterum Gudianam accuratiorem esse coniicere licet ex ea religione, qua egregium illum virum in codicibus conferendis versari solitum esse multis testimoniis constat, præsertim quum huius codicis

---

1) Unus excipiendus est Orellius, qui in altera editione eclogarum poet. Lat. pauca quædam notavit ex apographo Gudianæ collationis a Silligio accepto, verum non semper ita, ut scripturæ a codice confirmentur. Ita I. 71 in Gottorp. non legitur virtute sed virtutem, 118 (v. Or. ad 150) non primum sed primus, 719 non longi (quemadmodum etiam Haverc. notat) sed æquor, ut in omnibus codd.; quo intellecto etiam concidit contorta, quam Orell. proponit, commenticiæ (memorabilem dicit Or.) scripturæ interpretatio.

diligentius et diutius inspiciendi magna copia ei fuerit tum quum Gottorpiensis bibliothecæ præfectus esset (Werlauff l. c. p. 87). Hanc collationem ad Raphelengii editionem factam in Guelferbytana bibliotheca inveniri testatur Ebertus in libello de bibl. Guelf. codd. Gr. et Lat. (Lips. 1827) p. 107, in quam post Gudii mortem magnam partem codicum eius pervenisse notum est. [1]) Quod vero Madvigius l. c. p. 322 not. accuratam Gudii collationem in bibliotheca universitatis Havniensis servari dixit, in eo erravit, deceptus fortasse eo, quod collatos Gudii libros ad I. Alb. Fabricium transisse constabat, atque ii cum ceteris Fabricianis libris manu scriptis emptione migrarunt in bibliothecam universitatis Havn., ubi inter Fabriciana servatur ea collatio. Nihil aliud est quam apographum alius, ut videtur, apographi collationis Vossianæ, quod, sive ipsius Vossii sive prioris scribæ manus lectu difficilis erat, multis locis mendose descriptum est neque solum Gottorpiensis fragmenti lectiones continet, [2]) sed

---

[1]) Werlauff l. c. p. 90. Forbigerus hanc collationem non solum non adhibuit, sed ne Havercampii quidem excerptis satis diligenter et circumspecte usus est, ut iam monuit Siebelis l. c. p. 789.

[2]) In prima apographi pagina hæc leguntur: „Lucretii vetustissimum fragmentum, Biblioth. Gottorpianæ 800 aut 900 Annorum cum edit. Raphelengii in 8º 1595 contulit Cl. Is. Vossius. Dn. Rob. Cannon socius Collegii Regalis Cantabrig. ex Vossii libro exscripsit"; et in ima pagina Fabricii, ut videtur, manu: „Donum Caroli Schencke Hamburgensis."

inde, ubi ille desinit, excipiunt lectiones alius cuiusdam codicis (V. raro VV.), qui alteruter ex Lugdunensibus esse videtur. Aliquid tamen utilitatis affert mendosi huius apographi comparatio; nam præter alia, quorum infra mentio fiet, inde perspicitur, cum qua editione Vossius Gottorpiensem librum contulerit, et eum in hoc opere non accurate versatum esse.

Codex Gottorpiensis est membranaceus folii minoris, in bibliotheca Regia numero CCXI inter libros Veteris Collectionis notatus, [1]) binis columnis ita exaratus, ut singulæ fere quadragenos septenos, perpaucæ quadragenos octonos versus complectantur, ultima quadragenos ternos contineat. Tituli singulis carminis partibus præfixi omnes rubri coloris litteris a librario scripti sunt, sed ubi vetustate obscurati erant, recentior manus eos atramento inducto renovavit. Sæpius ipsorum versuum evanida scriptura instaurata est. Prima tria folia nitidius sunt exarata, et prima quæque littera, a qua singuli vel alterni versus incipiunt, rubro colore picta est; duo deinceps folia et sequens pagina minus nigro atramento et minus nitide scripta sunt neque rubræ litteræ apparent nisi post novum titulum; eodem modo, sed minus pallescente atramento sequentia usque ad septimi folii columnam alteram, quæ omnia ab eodem librario confecta esse videntur; inde reliqua alia et

---

1) In ima primæ paginæ ora notatur: „Lucretii fragmentum Q 4784," qui numerus quo pertineat non liquet.

deteriore manu ab imperito prorsus librario scripta sunt. Codex nunc constat octo foliis et desinit in vs. 456 libri secundi; neque eum belli demum turbis tantam iacturam fecisse, sed iam seculo XVII mancum fuisse, apparet ex apographo collationis Vossianæ, in quo codicem deficere notatum est eodem loco, ubi nunc desinit. Sed alio nomine mutilus est codex; nam humore partim deleta partim exesa est scriptura alterius oræ imi cuiusque folii,[1] et damnum auxit, qui librum iterum conglutinavit et lacunas pura membrana supplevit; hoc autem aliquanto demum post receptum in Havniensem bibliothecam librum factum esse, indicio sunt regia Christiani septimi insignia involucro impressa. Ita cum singulorum fere foliorum imo margine evanuerunt nonnullorum versuum primæ litteræ in priore, extremæ in aversa pagina. Haud paucæ inveniuntur correctiones partim ab iisdem librariis, a quibus scriptus est codex, partim a recentiore manu factæ vel supra lineas vel, erasa priore scriptura, in ipsis lineis atque interdum ita, ut quid antiquitus scriptum fuerit, non amplius discerni possit. Quædam tamen ex his correctionibus tam recentes sunt, ut post XVII demum seculum eas inductas esse pateat ex comparatione collationis Vossianæ; ita Vossius I. 158 invenit perspiciamus et 171 nascuntur, ubi nunc est perspiciemus et nascitur cum apertis lituræ vestigiis.

De ætate codicis si Vossii sententiam sequimur, eum venerandæ antiquitatis esse fatendum est; nam

is eum 800 aut 900 annorum esse iudicavit, idque iudicium sine ulla varietate, quod mirum est, diversis temporibus repetierunt Havercampius, Wakefieldius, Forbigerus. Hos igitur si audimus, codex nono aut decimo seculo scriptus est. Neque tamen tutum erit hoc iudicio stare, neque ipsius codicis scriptura tantam vetustatem referre videtur. Verum satius est hanc lubricam quæstionem omittere; itaque quo tempore exaratus sit codex, aliis diiudicandum relinquo, qui plurium librorum manu scriptorum usu edocti rectius quam ego de codicum ætate decernere possunt.

Hactenus de externa codicis Gottorpiensis condicione. Jam quæ de eius indole dicturus sum, ea magnam partem etiam ad reliquos eiusdem generis libros pertinent. Quum enim Gottorpiensis geminus sit Lugdunensi Z, quumque omnino antiqui codices in plerisque lectionibus et corruptelis conspirent, ex Gottorpiensi de universæ illius codicum familiæ pretio iudicari potest. Madvigius Gudianam illam, quam putavit, collationem commemorans (l. c. p. 322 not.) nihil ex ea præter ea, quæ iam nota essent, magno opere exspectandum existimavit; neque equidem hoc iudicium ad ipsum codicem translatum improbaverim, si ita intelligas, in singulis verbis non multas memorabiles lectiones, quæ non iam allatæ sint ab Havercampio, ex codice erui posse. Quamquam ne in hac quidem parte Havercampii testimonio confidere tutum est; nam præterquam quod non omnia attulit, haud pauca de hoc codice, ut de

aliis, confuse attulit, multa vero, sive ea est ipsius, sive auctorum, quos secutus est, culpa, falsa attulit. Sed magni imprimis momenti eo nomine est hic codex eiusque similes, quod eorum ope Lucretiani textus historia et quasi fatum accuratius cognoscitur. Nam quum hi codices ab indoctis librariis exarati religiose adhæserint archetypi scripturæ, eorum demum comparatione intelligitur, quid quoque loco in prisco illo exemplari sive perspicue et recte sive obscure aut confuse aut corrupte scriptum fuerit, quid paullatim recentiorum librariorum eorumque, qui Lucretianum carmen typis ediderunt, coniecturis vel interpolationibus illatum sit. Atque hoc magis adeo in versuum omissione aut turbato loco perspicitur, quam in singulorum verborum scripturis: quamquam etiam in iis lectionibus, quæ quidem alicuius momenti sint, mirus plerumque est veterum codicum consensus. In Gottorpiensi hi versus, qui omnes sunt primi libri, alio atque in editionibus loco positi reperiuntur:

I. Vss. 14, 15 inverso ordine. Quam mala autem fides sit Havercampii, vel ex eo intelligitur, quod nihil neque de Gottorpiensi neque de Lugdunensibus notat; sed quam unam affert ad vs. 15 (debuerat ad vs. 14 afferre) notulam Vossii (V): „Hic versus sequenti postponitur," etiam in Lugdunensibus turbatum esse ordinem indicare videtur. [1])

---

[1]) Signum V. Haverc. in fine præfat. significare dicit „lectiones Vossianas, quas margini libri sui imprimendi (?) ad-

II. Post vs. 44 alieno loco leguntur sex versus, qui in editionibus non minus inepte post vs. 56 inserti reperiuntur. Eundem locum, quem in Gottorpiensi obtinent, in omnibus codicibus, etiam recentioribus (nisi quod a nonnullis plane abesse dicuntur) et antiquissimis editionibus habere videntur. Huc translati sunt e lib. II. 646 sqq.[1]) Post vs. 56 teste Orellio eos collocavit Avancius.

III. Post 155 inseritur 159. Ita etiam Z, Y, Bodl.; varie turbatur in deterioribus codd.; vide Wakef.

IV. Vss. 732, 33 præponuntur versibus 730, 31. De reliquis oodd. nihil notat Haverc.

V. Post vs. 1065 ponitur 1093. De reliqq. tacet Haverc.

Denique inverso ordine leguntnr 1084, 85. Ita etiam Z; in aliis codd., etiam in Y et Bodl. aliter turbatur, et iam in archetypo aliquam confusionem vel obscuritatem in toto hoc loco inde a vs. 1065 fuisse, alia sunt indicio, quæ infra attingemus.

---

scripserat Isaacus Vossius et sæpius Num. 1. 2. 3 notaverat.“ Has igitur lectiones tamquam ipsius Vossii coniecturas vel ex aliis libris petitas scripturas separatim apposuit Haverc. neque vidit, eas omnes aut plerasque (imprimis ubi additum est 1. 2. 3) referendas esse ad eos codd., quorum comparandorum copia fuerat Vossio, h. e. Gottorpiensem et Lugdunenses duos. Si qua est discrepantia, eam ortam esse ex Vossii vel Havercampii negligentia et festinatione suspicari licet.

1) Haud dubie primum margini alicuius libri adscripti sunt ab eo, qui Lucretii inconstantiam notare vellet (cfr. Voss. ad vs. 57), deinde iam in antiquis exemplaribus in textum recepti.

Plerisque his locis rectum haud dubie ordinem restituerunt doctiores librarii et editores, verum tamen maximam partem coniectura ducti. Audacius autem iidem de suo totos versus addiderunt, interdum ad lacunosam sententiam explendam, non raro tamen etiam ibi, ubi nihil desideratur. A Gottorpiensi libro multi absunt versus, qui in editionibus comparent; ac primum genus est eorum, qui ex mera interpolatione orti sunt. Ex his lib. I. 16 in nullo est codice neque in antiqq. edd. ante Iuntinam et tribuitur Marullo. Vs. 861 in uno tantum recentissimo codice Musei Britannici exstat, sed ne in antiquissimis quidem edd. (cfr. Madvig. l. c. p. 310). Vs. 1091 abest etiam a Z., Bodl. (de Y nihil notatur) et multis recentioribus codd. primisque edd; adulterinum eum iam iudicarunt Bentleius et Forbigerus; neque maior est auctoritas supplementi lacunæ 1094, qui versus neque est in Z (de reliquis bonis tacent) neque in multis recentt. codd. et primis edd. Libri autem II vs. 42 a Lambino demum e Nonio intrusus est (omiserunt Orell. et Madv. in eclogis poett. Lat.), et vers. 164 in nullo est codice nisi in quattuor apographis, quibus usus est Wakefieldius (cfr. Madv. l. c. p. 317 sq.). — Alterum genus est eorum versuum, qui quamquam sunt Lucretiani, tamen ab archetypo abfuisse et aliunde in locum, quem nunc obtinent, venisse videntur. Sic I. 124, quem omittunt etiam Z et duo Lambiniani, haud dubie illatus est e Macrobii Saturn. VI. I. (p. 159 Bip.); et vs. 1022 in nullo bono codice ita legitur, ut in edi-

tionibus, sed aut omittitur, ut in Gottorp. et Bodl., aut aperta repetitione præcedentis versus ita scribitur: Et quos quæque sagaci mente locarunt, ut in Z et Y, in hoc saltem cum vestigiis lituræ et secundæ manus, atque eodem modo in superiore Gottorpiensis margine recentior manus eum adscripsit. Hic versus, quem ne deteriores quidem codices omnes et primæ edd. agnoscunt, suppletus videtur ex V. 420 sqq., ubi iidem versus, qui hic 1020-24 leguntur, paullulum variati recurrunt. — Tertium genus est eorum, qui in illo communi codice, ex quo nostri descripti sunt, exstitisse videntur, sed partim propter difficilem aut evanidam eius scripturam ab imperitioribus librariis legi non potuerunt ideoque ab his plane omissi sunt, a peritioribus autem explicati et hic illic fortasse coniecturis expleti, partim fortasse ipsius librarii culpa in Gottorpiensi prætermissi sunt. Ita I. 735-785 etiam in Z desiderantur, sed inveniuntur in Y et Bodl., neque alia ratio esse videtur vss. 889, 90, quamquam de Z tacet Havercampius, qui male vss. 890 et 891 in Gottorp. deesse dicit. Quod autem de evanida archetypi scriptura diximus, maxime apparet ex lacuna 1067-1074, quæ est etiam in Z et duobus Lambinianis, quamque Gottorpiensis codicis librarius indicavit numero VIII. in margine posito; in Y autem et Bodl. hos versus inveniri certum est, neque tamen id perspicitur, utrum integri exstent an extremæ horum octo versuum voces desint, quæ sane desunt in recentioribus codicibus et primis editionibus, nisi quod in paucis

tentamina quædam supplendi apparent [1]), ac fortasse quod in fine horum octo versuum nunc vulgo legitur, nihil aliud est quam simile supplementum, sed felicius et verius. Eodem modo lib. II. vss. 253-304 desiderantur etiam in Z, inveniuntur in Y et Bodl.; num autem II. 310-312 in ullo alio codice præter Gottorpiensem omissi sint, dubitari potest.[2]) Neque illud alienum est ab hoc genere, quod nonnullis locis in Gottorpiensi ut in aliis optimis libris partes quædam versuum plane desunt aut ita scriptæ sunt, ut obscuram fuisse archetypi scripturam pateat; id autem, quod nunc illis locis legitur et sæpe oblitterata origine pro vera scriptura habetur, e coniectura et interpolatione recentiorum librariorum ortum est. Huiusmodi est imprimis lib. I. vs. 45, qui in plerisque codd. recentt. et edd. etiam nuperrimis ita legitur: Quod superest, vacuas aures mihi, Memmius, et te, in uno codice Musei Britannici: Quod superest, quæso, vacuas mihi, Memmius, auris Semotim etc., in Lambiniana ed. et quæ eam sequuntur: Quod s. v. aures mihi, Memmiada, et te, „contra codices," dicit Orellius: quasi vero maior sit vulgatæ lectionis auctoritas! Nam, quod silentio prætermisit Orellius, in Gottor-

---

[1]) Cfr. Haverc. et Wakef. ad h. l., Madv. l. c. p. 309 not.

[2]) Quam infidum sit Havercampii silentium, confirmatur eo, quod ne de Gottorpiensis quidem turbato ordine et lacunis quidquam notavit ad lib. I. 124, 155, 1022, 1084, 1094 et II. 310.

piensi est: Quod superest ut vacuas aures relicto vacuo spatio, quo significatur, lacunam esse hoc loco; neque aliter sine dubio Lugdunensis uterque (de Bodl. tacet Hav.) et unus e Lambinianis. [1]) Similes loci sunt libr. I. vs. 658 et II. 181, de quibus disputavit Madvigius l. c. p. 308 not. 2 et p. 319 sq.

Verum alia est res, quæ fraudi fuit recentioribus librariis atque in multas editiones adulterinos et insulsos versus invexit. In Gottorpiensi codice, ut iam supra diximus, singulis carminis partibus præfixi sunt tituli rubro colore scripti, partim Græci partim Latini, similiaque lemmata „ex veteribus libris collecta“ inveniuntur in fine præfationis Havercampii, magnam partem fortasse ex Lugdunensibus codd. ducta omniaque haud dubie ex archetypo in antiquissimos codices translata. Ex his titulis Græci continent dicta Epicuri Epicureorumve atque in Gottorpiensi cod. latinis litteris satis recte scripti sunt, quamquam librarium eos non intellexisse, mala verborum divisio in nonnullis ostendit, unde prima specie corruptissimi esse videntur. Ita post I. 44 mancum illud ACAPION CAEAPITRATON est: *Τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον* [*οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει οὔτε ἄλλῳ παρέχει*] (Diogen. Laert. X. 139);

---

[1]) Havercampius suo more confuse Memmiada et te deesse dicit „V et I. 2. 3. (cfr. p. 12 not.) Y, Z“; Lambinus se ita restituisse monet coniectura ductum, „quum hic locus in codice Bertiniano totus in litura demersus esset.“

post 551: CONTRAISAPIRONTENTOMEN, contra: *εἰς ἄπειρον τὴν τομήν* (ibid. 43); post 949: TOPA NAPIRONTO GARPEPERASMENONAGRON, *τὸ πᾶν ἄπειρον· τὸ γὰρ πεπερασμένον ἄκρον* [ἔχει] (ibid. 41); post 1050: ISTO MESON EPHORA, *εἰς τὸ μέσον ἡ φορά;* post II. 13: SARCOSEUS STATE SCATA STEMA, Metrodori illud dictum: *Σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα* (Clem. Alex. Strom. II p. 417 C. Col.). — Latina lemmata nihil habent difficultatis præter unum illud, quod est post libri II vers. 41:

SUBDIIS (SI) MAGNIS EPICURI CONSTABILITAS ORNATAS. ARMIS ITA SI VASTARITERQ. ANIMATAS.

quod corruptum esse patet; fortasse in altera linea græcum aliquod dictum latet. Hæc verba magis etiam corrupta paullatim in textum irrepserunt, atque inde in multis recentioribus codicibus et in primis edd. duo nati sunt versus, qui interpretes in diversas sententias distraxerunt, Orellio autem ita placuerunt, ut eos in prima Eclogarum editione tamquam ipsius poetæ versus paullulum mutatos in textum reciperet. In altera tamen editione codicum præsidiis adiutus eorum originem recte perspexit, quæ clara est ex cod. Gottorpiensi, in quo aperte tituli locum obtinent.

Sed ne antiquiores quidem librarii semper aliena additamenta a poetæ verbis scribendi genere coloreve distinxerunt, atque etiam in Gottorpiensi eiusmodi additamenta sine ulla distinctione tamquam poetæ versus textui inserta reperiuntur post I. 419,

705, 873, II. 110, ex quibus primum et postremum tam aperte tituli speciem præ se ferunt, ut id neminem fugerit; neque obscurius est, quod post 705 in omnibus antiquis et multis recentioribus codd. eodem modo scribitur; verum tamen eorum, qui primi Lucretium ediderunt, nonnullos in errorem induxit, et in margine Veronensis editionis ita in versus (si diis placet) formam redactum legitur:

Ignemque, aëra terram humorem, principia esse.

Ne Havercampius quidem, quid de eo statueret, satis compertum habuisse videtur. Obscurior est origo eorum, quæ post vs. 873 in Gottorpiensi (quocum conspirant Z et Y) ita scribuntur:

Præterea tellusq. (h. e. quæ) corpora cumque alit auget
Ex alienigenis quæ lignis oriuntur.

Eadem in plerisque recentioribus codicibus et antiquissimis editionibus leguntur, nisi quod pro eo quod est oriuntur exstat exoriuntur, et in editis libris versuum ordo invertitur. Horum versuum prior plane alienus est ab hoc loco; posteriorem in textum receperunt Lambinus et Wakefieldius et necessarium iudicat Siebelis l. c. p. 795 sq. Aliquid hic iam in archetypo turbatum fuisse patet, neque improbabile mihi videtur, utrumque versum veteris librarii culpa, alterum ex 859 et 868 conflatum, alterum ex 870 ortum in textum venisse. Forbigerus neutrum damnare ausus ad suspicionem illam de duplici carminis recensione confugit.

Restat, ut pauca addam de ratione, qua in varietate scripturæ codicis Gottorpiensis indicanda versa-

tus sum. Hæc omnis varietas referenda est ad editionem Forbigeri, qua in conferendo codice usus sum; neque tamen eas discrepantias notavi, quæ solis verborum malis distractionibus aut coniunctionibus continentur, quæ sane multæ sunt imprimis in posteriore codicis parte. Orthographica raro attigi, neque fere nisi alia accederent, quæ notatu digna viderentur (quo pertinet inconstantia scribendi verbi e s t post vocalem vel syllabas in m litteram desinentes). Quum autem ea vocum scribendarum ratio, quam amplexi sunt recentiores Lucretiani carminis editores, maxime Forbigerus, ab ea, quæ in aliorum scriptorum editionibus usurpatur, magno opere discrepet, libet hic summatim indicare, quatenus leges a Forbigero in præfatione p. XI sqq. propositæ codicis auctoritate confirmentur. Quod ad vocum exitus attinet, primum „antiquiorem formam e i pro i longo in primo et tertio casu pluralis secundæ declinationis retinendam“ duxit; in codice autem in utroque casu semper scribitur i præter I. 231 i n g e n u e i. Deinde in iis vocibus tertiæ declinationis, quæ genitivum pluralem in i u m terminant, accusativum casum scripsit per e i s. In codice numquam e i s invenitur, sed plerumque i s, aliquoties e s, imprimis in disyllabis vocibus, ut m e n t e s, n o c t e s, sed etiam I. 3 f r u g i f e r e n t e s pr. manu. — Formam o m pro u m in terminationibus secundæ declinationis non recepit nisi post litteram v aut ubi codices aperte eam tuerentur. Neque tamen Gottorpiensis codex hanc scribendi rationem tuetur nisi quater:

